

# **Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 88**

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Omnibus fidelibus tam presentibus quam et futuris notum fore cupimus, qualiter assidua proclamatio nostras aures inquietabat ob innumerias et frequentes contentiones, quae semper erant inter Vuldensem et Herveldensem familiam, quae iam in tantum convaluerunt, ut etiam innumerabilia inter se fierent homicidia et inde maximum detrimentum utraque pateretur aecclesia. Quapropter, ne talis ac tantae presumptionis audacia sine digna ultione inter utrasque familias diutius remaneret, cum consensu et consilio utrorumque abbatum Richardi Vuldensis et Arnolti Herveldensis aliorumque fidelium nostrorum per huius kartulae preceptum tale constituimus decretum: Ut primum omnis iniustitia, quae iam per multa tempora ex utraque parte incorrecta remanserat, ab advocatis et prepositis illorum utrimque pleniter corrigatur. Et deinceps, si quis ex familia utriusque aecclesiae aliquem servorum vel sancti Bonifacii vel sancti Wigberti insequitur et ausu temerario et armata manu ad occidendum vel ad depredandum eius curtem sive domum infregerit et eum inpugnaverit, et si ille aut aufugerit aut si forte domi non fuerit vel quoquo modo ab eius potestate sive inpugnatione se liberaverit, illi, qui huius audaciae et invasionis dux et princeps fuerit, tollantur corium et capilli et insuper in utraque maxilla ferro ad hoc facto etiam candenti bene cratetur et comburatur, reliqui eius sequaces cute et capillis priventur. Si autem ibi occiditur, omnes, qui huius homicidii seu invasionis participes sunt, supradictae poenae subiaceant. Et si ex una familia sunt ille, qui occiditur, et illi, qui occidunt, omnes singulariter weregeldum occisi et omne debitum, sicut hactenus fecerunt, propriae aecclesiae persolvant. Si autem ille, qui occiditur, ex una familia est et illi, qui occidunt, ex alia, auctor homicidii solus pro omnibus weregeldum persolvat. Et in quocumque loco aut ex una aut ex alia familia aliquis occiditur, nisi ille, qui homocidium facit, probabiles testes habeat aut per ferrum candens hoc probare valeat, quod ob aliam causam non fecisset, nisi quod de inpugnatione ipsius aliter vivus effugere non potuisset, supradictae poenae subiaceat. Sie autem hoc probare potest, nihil patiatur, nisi quod hactenus ipsa aecclesia pro lege habuit. Istud constitutum advocatus, in cuias advocatione hoc evenerit, cum scientia utrorumque abbatum in presentia nunciorum illorum fideliter adimpleat. Si vero advocatus aut mercede conductus aut misericordia motus aliqua calliditate hoc decretum avertere voluerit, gratia nostra et advocatione careat, nisi supra sacras reliquias hoc adfirmare audeat, quod homicidam seu invasorem nusquam adquirere possit; et tamen quam citissime poterit adquirat. Et si ipse, in cuius advocatione hoc evenerit, reum adquirere alterius abbatis, si possint, adquirant ad predictam poenam presentibus nunciis utrorumque abbatum adpresentent. De kamerariis vero et pincernis aliisque honoratis utrorumque abbatum servitoribus hoc constituimus, ut, si quid tale aliquis illorum fecerit, predictae poenae subiaceat secundum arbitrium abbatis vel X libris denariorum redimatur. Et hoc volo firmiterque precipio, ut rem semel bene ac recte diffinitam nullus iterare audeat vel renovare. Si autem praedicti abbates hoc decretum adnullare cupiunt, mihi vel meo successori II libras auri uterque persolvat, conatumque tamen suum non perficiant. Et ut haec constitutio stabilis et inconvulta permaneat, sigilli nostri impressione hanc kartam insigniri iussimus. Signum domni Heinrici Romanorum invictissimi imperatoris augusti. Odalricus cancellarius vice Aribonis archicapellani recognovit. Data est anno dominicae incarnationis MXXIII, regnante Heinricho imperatore augusto annos XXII, imperii vero eius anno XI, indictione VII; data in VII. idus

martii; actum feliciter Babenberc.